

manu: *Magnus albertus super Marcum. Imbriopolim* a germ. *Regen, Regensburg, Ratisbonam* intellige, Ipsa frons ita enuntiat: *Incipit prologus in postillam alberti magni super Marcum.* Quis Prologus? Consulo Editionem *Lugd. a. 1651.* ab Ordine Praedicatorum XXI. *Tomis* f. redactore P. *Petro Jammy* curatam, et in *Scriptt. Ord. T. I. p. 171.* recensitam, *Postillamque* nostram T. IX. absque omni Prologo reperio, licet is ceteris tribus Evangelistis non desit. Non urgebo, tale consilium suscipientibus Codices *ms.* etiam extra *Galliam* quaerendos fuisse, illud mirari liceat, *Jammyum* nequidem de unica hujus *Postillae* Editione *Hagenoae in Henr. Gran Officina 1505.* f. inspicienda sollicitum fuisse. Invenisset in illa non unum, quin duos Prologos, quemadmodum in Codice nostro. Primum enim praefatur *Albertus* ipse hoc modo: *Ecce vicit leo de tribu iuda radix dauid aperire librum et soluere VII. signacula ejus. Tria notantur hic de christo. fortitudo, nobilitas, et illuminacio &c.* atque haec Praefatio sesquiertiam columnam occupat; dein Prologum *Hieronymi* in *Marcum* exponit 9. columnis hoc initio: *Premittit autem ieronimus prologum in quo tangit tria principaliter. Causam videlicet suscepti operis &c.* Et tum demum Codex noster et Editio *Hagenoensis* coincidunt cum *Jammyana* his verbis: *Inicium Euangelii &c. Sicut dictum est in prehabitis septem sigilla per leonem aperta &c.* Quae

ipsa verba monere debuissent Editorem, *Exemplar*, e quo edebat, ἀκεφαλον esse, ac proinde aliud perfectius conquirendum. Ad calcem mei habetur: *Expliciunt notule super marcum.* quae etiam *Edit. Hagenoensis* claufula est.

Codicis *Thecam* interne vestiunt utrinque *Membranae* Sec. XIII. quae examinatae deprehenduntur pertinere ad *Friderici II. Imp. Querimoniam* adversum *Gregorium IX. Pont. sive Librum I. Epistolarum Petri de Vineis*, continentque extrema *Epistolae ad Regem Anglorum*, integram *ad Regem Franciae*, et initium *ad universos mundi Principes*, quae in *Querimonia Hagenoae per Joh. Seckerium 1529. 8.* edita constituunt *Capita 16. 18. 28.* et in *Edit. Epistolar. praedictarum Ambergae 1609. 8. L. I. Epistolam 16. 18. 28.* Textus non paucis locis ab utraque hac *Editione* deflectit.

CLXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 147
Folior. 298. f. non una manu, bene tamen perscriptus, rubricis distinctus, et quondam, ut praefert, testamento legatus *ad Collegium beate Marie virginis Domus rubee rose apud fratres predicatorum in vienna a M. Thoma de Wullersdorf* (Wullersdorf oppido infer. Austriae?) *arcium ac sacre pagine doctore, apud sanctum stephanum Canonico, praefatique collegij superintendente* sequentia continet: I. *Lecturam* scholasticam in *Evangelium D. Marci*, hoc in-

gressu: *Lecturus Beati Marci evangelium ut eius et auctoris maior cognoscatur auctoritas &c* Exposito dein *Hieronymi Prologo* Textus ipse sic orditur: *Inicium evangelij ihesu christi &c. Evangelium secundum Marcum in duo diuiditur in prologum scilicet et tractatum &c.* Et finit: *et summa gloria omnisque debetur obedientia ihesu christe, qui in secula seculorum es benedictus.* Auctor et hujus, et sequentium *Commentariorum*, nisi sit *Thomas* supra memoratus, non proditur.

II. fol. 181. *Prologus in Zachariam prophetam.* Cum Expositione videlicet ipsius Prophetæ. Et prologus quidem prior desumptus ex *Hieronymi ad Paulinum Epistola: Zacharias memor Domini sui &c.* ita inchoat: *Iste est prologus uel argumentum in Zachariam prophetam, pro quo sciendum occurrit, quod argumentum dicitur quintupliciter &c.* Prologus alter: *In anno secundo Darij regis &c.* ut in *Bibl. glossatis*, ita: *Iste est prologus secundus in Zachariam prophetam et diuiditur in duas partes principales, in quarum prima tanguntur quedam aggeo et Zacharie communia &c.* Ipsa Textus Expositio: *In mense octauo &c.* *Ista est propheciam Zacharie prophete et diuiditur secundum diuisionem temporum &c.* Extrema sunt: *et petrus de tarentasia super 4^{um}.*

III. fol. 224. *Sequitur prologus Malachie prophete.* Nempe e *Bibl. glossatis* ille: *Deus per Moysen populo israeli preceperat &c.* cuius Expositio ita init: *In isto prologo*

iuxta ea, que in prophetia dicuntur ostenditur populi israelitici ingratitude &c. et Textus Expositio: *Onus verbi Domini ad Israel &c.* *Hic incipit prophetia Malachie prophete qui est duodecimus et ultimus in ordine &c.* Finis: *eius vultum preclarissimum cum gaudio videre, quod nobis prestare dignetur &c.*

IV. fol. 251. *Incipiunt Omelie Origenis super Genesim.* Traduxit eas jam exeunte Sec. IV. *Rufinus Aquilej.* neque dubium, eas pertinere ad *mysticas* illas, quarum Libros II. compositos ab *Origene* fuisse, testatur *Hieronymus* Ep. ad *Paulam* Edit. *Vallars.* T. I. n. 33. p. 151. Hodie non nisi XVII. supersunt, quas habes in Edit. *Maur. Opp. Origenis* T. II. *Paris.* 1733. p. 52. f. Praeterquam, quod ultima in *Cod. nostro* deest, reliquæ multis locis concisæ, et quasi in *ἐπιτομῆν* contractæ sunt, id, quod te vel *Primæ* initium, si cum *Editis* compares, docebit. *In principio fecit Deus celum et terram. Non in aliquo temporali principio sed in domino ihesu Dei filio fecit Deus non solum celum et terram, sed et omnia per eum facta sunt &c.* Quæ *κατα λέξιν* cum *Editis* ut plurimum consonant, sunt singularum Perorationes. Inter *Homiliam* II. et III. nobis cubat prolixus Locus, qui quidem eandem de Noe, Diluuium et Arca materiam tractat, ut *Homilia* II. sed neque in *Homiliis* editis, neque inter *Origenis Selecta in Genesim* T. cit. p. 31. reperitur. Incipit: *Noe vero Anno sexcentesimo factum est diluuium,* 2026-05-06

uium, cui Deus dixit. Penitet me fecisse hominem &c. Et finit: *Archa autem in monte ararath in mon-*

tibus armenie sedit. Ad calcem Hom. XVI. legitur *Τετρασυχον* infelicem Origenis casum plangens:

O quam mira, Deus, tua sunt velamina mundo!

Is quia si perit, quis, rogo, salvus erit!

Quis non hinc stupeat, quis non tua jura tremiscat!

Hic quoque post Paulum Vas fuit egregium.

V. fol. 275. Sermo beati Bernardi. In illud Luc. XIX. 13. *Negotiamini, dum venio.* Initium: *Verbum patris unigenitus dei sol iustitiae magnus paterfamilias superius ille negotiator de ultimis finibus celorum nostrae redemptionis precium asportavit &c.* Agit de quinque Regionibus perambulandis Negotiatori Christi, quae sunt: *Regio dissimilitudinis, australis, expiationis, gebennalis, et supercelestis.* Habetur Sermo hujus argumenti inter *Bernardi Sermones de Diversis* n. XLII. Edit. Maur. Paris. 1690. T. III. col. 1175. f. verum is in praesenti Exemplo mire auctus et interpolatus est, neque infarcta omnia Bernardum sapiunt. Definit: *meretur tandem super multa constitui et intrare gaudium domini sui. Quod nobis prestare dignetur &c.* In quo quidem Matth. 25. loco etiam genuinus Bernardus finit.

VI. fol. 279. p. 2. Oratio beati Anselmi de passione Domini. Init: *Benedic anima mea domino et omnia quae intra me sunt Te Domine clementissime ihesu redemptor generis humani debitis et deuotis honoribus obsequijs. Salvatoris infirma nos &c.* Atque in his verbis coincidunt impressa Exempla, quae

incipiunt: *Jesum Nazarenum a Judaeis innocenter condemnatum a gentibus crucifixum (vel cruci affixum) Christiani (nos) divinis honoribus obsequijs. Salvatoris infirma nos &c.* Dixi impressa Exempla; extat enim pius hic Affectus et inter *Anselmi Opera* edit. Gerberon. Paris. 1721. inter *Meditationes* n. IX. p. 217. f. et inter *Bernardi* edit. Mabill. Paris. 1690. T. V. col. 649. f. Et *Mabillonius* quidem a *Tritheimio* et *Bellarmino* sub titulo *Stimuli Amoris Anselmo* tributum abjudicat *Bernardo*; *Gerberonius* vero non audet firmius *Anselmo* adferere, licet in variis Mss. et antiquioribus Editionibus titulo *Speculi evangelici Sermonis*, aut *de Humanitate*, aut *Stimuli Amoris* eidem adscribatur. Adde titulum, quem in *Bernardo* praefert: *Sermo de Vita et Passione Domini*, et nostrum *Oratio*, et mirare *Librarios* *κακοζηλιαν*, qui toties Inscriptionibus suis crucem nobis fixere. Finit *Πολυωνυμον* nostrum: *gloria et gratiarum actio et imperium in secula seculorum amen.*

VII. fol. 284. p. 2. Soliloquium Richardi de S. Victore. Initium: *Verbum michi est ad te o rex seculorum ihesu christe. Ausu ca-*
vita-

ritatis alloqui te presumit factura manus tue &c. Nihil hujusmodi in *Richardi Opp.* edit. Colon. 1621. 4. bene vero inter *Anselmi Meditationes n. XIII. de Christo* edit. *suprac.* p. 225. *Gerberonio* in *Censura* praevia *Stilus* tamen disparatus est, atque primum inter *Anselmiana* editum a *Raynaudo* ex unico *Bigotii* Codice. *Definit: et regnum in solidum permanens in sec. sec. Amen.*

VIII. fol. 287. p. 2. Index rerum et quaestionum tractatarum in superiore Lectura in *Marcum*, et inchoatus in *Zachariam*.

IX. fol. 290. *Dubium Vtrum meum et tuum sit de lege nature.* Verum noli credere huic Titulo. Sequuntur enim ex erudito quodam *de Autoritate Conciliorum Generalium* Tractatu Pars *Capitis 49. Caput 50. et 51. cum Capitis 52. initio*, et quidem sic: *Vnde ibidem dicit ille Doctor tunc, examinatus authenticus et finalis Judex doctrinarum fidem tangentium est generale concilium. Intelligere sic ut premissum est qualificatum scilicet legitime congregatum &c. prout hoc quidem in magna constantiensi synodo est diffinitum &c.* Agitur deinceps de variis Ecclesiae Acceptionibus; eam errare non posse; quae sit, quae nunquam erraverit, atque errare non possit, et sic ad Concilia generalia devenitur. De tempore scripti Operis liquet ex his C. 51. verbis: *ut patet de tribus nostro tempore successively congregatis concilijs, scilicet constantiensi Senensi et basilienfi; Patriam vero Germaniam*

putem e citato c. 50. *Henrico de Hassia.*

CLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 151

Folior. 278. f. per duas columnas bene scriptus, et rubricis enotatus hanc Notam praefert: *Iste liber datus est ad librariam Collegij ducalis ex parte venerabilis viri Magistri Theodrici de hamelburg doctoris Theologie. cui deus retribuat in vita eterna.* Atque hic Vir cognomine *Rudolphi*, Canonicus *Vien.* patria *Franco* Annis 1413. et 17. Academiae Rector praefuit. Codex porro Autoris nomen tacet, et *ἀνεπιγραφεως* incipit: *Glossa. Inter cetera incarnationis christi misteria que ysayas propheta diligenter et aperte pronunciat &c.* sed in Theca anteriore legas: *Glosa continua super Lucam*, quibus minute superscriptum, *Sanctus thomas de aquino.* Rite quidem; est enim Pars *Continui*, seu *Catenae Aureae* in IV. Evangelia magni illius Theologi e PP. locis lectae, quae ab a. 1470. pluries typis excusa fuit, ut videre est in *Bibliotheca Ord. Praed. T. I. p. 326.* ubi simul contra *Petrum de Alva* Franciscanum disputatur totum istud Opus sodali suo *Pontio Carbonello* adjudicanti, dissentiente tamen ipso Ordinis M. Bibliothecario *Luca Waddingo*, qui *Carbonelli* Opus *Commentaria*, seu *Catenam sanctorum Patrum in universam sacram scripturam* vocat, fervarique manu scriptum VIII. Tomis in *Toletana* Suorum Bib-